





*Pr. 6. num. 2.*

*10*


**DISSERTATIO IN AVGURALIS IURIDICA  
DE  
IUDICE PHILOSOPHO**  
QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**FRIDERICO CHRISITIANO**  
MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE SILESIAEQVE  
DVCE RELIQA BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI RELIQA

*P. 461*  
**EX DECRETO**  
ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS  
PRAE SIDE 1764, 5  
**D. IOANNE IVSTINO SCHIERSHMIDIO ICto**  
SERERISS. MARGR. CONSIL. AVL. ANTECESSORE ET PHILOSPH.  
PRACT. PROFESSORE ORDIN. H. T. FACULTATIS IURID. DECANO  
PATRONO AC FAVTORE QVAM MAXIME COLEND  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN VTROQVE IVRE HONORIBVS PRIVILEGIIS  
ET IMMVNITATIBVS RITE OBTINENDIS  
PVBLICO ERVDITORVM SCRVTINIO  
EXHIBET  
AVCTOR  
**PAVLVS IOANNES FRIDERICVS SOMMER**  
AVL. ET REGIM. SAXO-COBVRG. ADVOCAT. ORDINAR. ET.  
CIVITAT. COBVRC. SYNDICVS.

**D. XXV. MAI M D CC LXIII.**

ERLANGAE  
LITTERIS TETZSCHNERIANIS



DISSEMINATIO IN MAGISTRALIS LIBRIS  
LAUDIE PHILIPSONE  
SACRA MUSICA ET SONGA  
HIC DUCIT ALLEGORIAE MUSICOLOGIA  
SERVATISSIMA ET PRAECEPS DE BONIS  
40. 1. 19. 0  
HEDRICCO CHRISTIANO  
MELLOMUSICO ET HISTORICO  
DE PECORA  
HABITATIS VITAE GOMORRAE ET SODOMIE  
HABITATIS  
DIOGENE IADINUS SCHOLASTICUS  
HABITATIS  
ACUSTRIS OLAIAHABITATIS  
HABITATIS  
HABITATIS  
HABITATIS

VIRIS  
AC  
DOMINIS  
PRAENOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS  
ATQVE AMPLISSIONIS  
**CONSVLIBVS**  
ET  
**SENATORIBVS**  
INCLYTAE CIVITATIS COBURGENSIS  
GRAVISSIMIS  
FAVTORIBVS ET AMICIS  
ESTVMATISSIMIS.

VIRI  
AC  
DOMINI  
PRIMORDIALISIMUS DOCTISSIMUS  
ATRAE MATERIALE  
CONSERVABAS  
ET  
SENIATORIBAS  
INCULTAE CIVILITATIS CORRIGENTIAS  
GRATISSIMUS  
FATIGABAS ET AMICIS  
ESQUAMATISSIMUS

V I R I

PRAENOBILISSIMI, DOCTISSIMI

ATQVE AMPLISSIMI.

M U R M

**P**raesentem **V O B I S** offero dissertationem, quam ad consequendas dignitates Doctorales conscripsi. Dedico illam obseruantia atque amicitia ductus **A M P L I T V D I N I V E S T R A E** quia in ea talis agitur materia, quae in Curia tractatur quotidie. **V E R I T A S** nimur et **I V S T I T I A** sunt illa obiecta, quae nunquam non sunt obseruanda in foris. Litigantium enim partium, in primis ciuium ab illis dependet commodum, vel detrimen tum, bona eque aut malae exinde oriuntur consequentiae. Muneris Syndici Ciuitatis ratio requirit, in diuidicandis ipsi commissis causis veritatis et iustitiae semper esse memorem. Indignissimum ingratissimumque quisque me habere posset, quando illas scientias, quas edidici, in utilitatem **S E N A T U S A M P L I S S I M I** et civitatis convertere dubitare fiduciae que eius in me positae non respondere recte agendo vel kem.

*Iem. Semper potius Studebo illa me reddere dignorem,  
ut saltem in me illud retundet commodi, maiori cum iu-  
cunditate labores perficere meos. Dubito etiam minime  
de SENATVS AMPLISSIMI auxilio, si accidit, ut in defen-  
denda veritate atque iustitia in omnibus a me peragendis  
negotiis respicienda irrationalium et affectibus huma-  
nis inflatorum hominum adspicar conuietiis. Commen-  
dat itaque se fauori perpetuo et amicitiae.*

## V I R O R V M

### PRAENOBI LISSIMORVM DOCTISSIMORVM ATQVE AMPLISSIMORVM

Scribebam  
COBURGI d. XVII.  
MENS. MAIi MD CCLXIV.

OBSERVANTISSIMVS ET DEDITISSIMVS  
AVCTOR  
PAVLVS IOANNES FRIDERICVS  
SOMMER,

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE IVDICE PHILOSOPHO.

P R O O E M I V M .

**O**mni certe caret dubio, quod adeo facilis res non sit, talem eligere dissertationis materiam, quae non in alijs dissertationibus, vel Tractatibus, in copia quotannis in lucem editis, iam tractata etenucleata fuerit, quaeque praestet societati humanae commodum. Sunt quidem, qui alieno laborant vitulo; dantur etiam, qui excerpunt commentarios. In hisce autem casibus auctoris eruditio atque iudicium non cognoscitur, ipsique honori non est, licet in bibliopolam atque bibliopagam utilitas exinde retundet maxima. Hasce animo evoluenti circumstantias iniucundum videbatur, dissertationem scribere et prelo committere, ratio autem muneris demandati et inueterata obseruantia me cogunt, acquirere gradum Doctoris manuque adserre scribendae dissertationi. Praxin autem eam obcaussam praetuli Theoriae, quoniam illa functioni meae magis hac videbatur mihi consentanea, maiorem Societati praebens utilitatem humanae. In primis de persona cogitavi Iudicis, qui subditis utilis, vel perniciosus esse potest. Libros et commentarios euoluere et ubique allegare, necessarium non duxi. Eas tantummodo circumstantias et facta in memoriam reuocavi, quae in praxi forensi iam dudum

co-

cognoui et expertus sum. Materia itaque de *Indice Philosopho* a me fuit electa, licet eam alii paruam arbitrentur atque valde notoriam. Officia, quae ad conseruationem societatis humanae necessaria sunt, nunquam satis injungi possunt; cumque saepius negligantur, quam obseruentur, Iudicesque mox hinc, mox illinc constituantur, officia haec tanquam noua consideranda, quorum repetitio eiusmodi Iudicibus prodest, qui fortassis finem munera primarium non respiciunt atque philosophiae expertes sunt. Ipse omnem nauabo operam, ut quantum in me est, et munera ratio postulat, Iudicem imiter philosophum virique rationabilis acquiram et retineam nomen.

TRA-



## TRACTATIO.

### I.

**I**am dudum fausta illa tempora praeterlapsa sunt, quibus amor erga proximum obseruabatur et discep-  
tationes forenses incognitae erant, sed omnia per-  
tractabantur amice. Mores enim hominum postea  
corrupti naturae maculam inferebant humanae, et quoniam  
alter alterum odio persequebatur, necesse erat, leges condere  
et poenas, quibus malis metus et timor iniiceretur, bonis au-  
tem securitas praestari posset, invenire et promulgare. Per-  
sonae autem requirebantur, quae praeesseyent aliis in obser-  
uandis legibus. In statu nimirum ciuili ideo iudicia sunt con-  
stituta, ne quis per vim et propria auctoritate sibi ius diceret,  
l. 13, s. 3. de vſuſr. l. 14. C. de Iudeis. Magistratus et Iu-  
dices itaque erant constituendi, qui fungerentur officio, le-  
ges conseruare illaesas et transgressores poenis affice re di-  
gatis. In constituendis autem Iudicibus personae, quae leges

A

opti-

optime perspiciebant, et habitu eas ad causas rite adplicandi controuersas, easdemque secundum praescriptum legum diiudicandi praediti erant, praeferebantur ignaris. In omni enim Iudice requiritur habilitas et integritas, ut viri boni officium praestet, l. 137. §. 2. de V. O. l. 4. s. 1. famil. hercisc.

## §. II.

Quemadmodum autem post lapsum primorum parentum rebus humanis nulla inerat perfectio, et multi homines gerendorum negotiorum leges negligebant praescriptas, mirum hinc non erat, quod minus iudicis tales ambirent, qui legum ignari et principiis philosophiae non instruti subditis nocebant et multos reddebat infelices. Suum cuique non tribuentes malo ipsorum exemplo inducebant alios ad lites commovendas iniustas et pertinaciter in multos annos protrahendas. Iudex in uno grauans, in altero non presumitur aequior, Mev. p. 1. dec. 26. n. 10. et p. 2. dec. 63. n. 6. Affectibus humanis dediti Iudices non ius dicebant, sed secundum bene placitum lites dirimebant. Iudex autem secundum leges, acta et probata iudicare debet, Auth. hodie C. de iudic. Mascart de probat. concl. 949. Gail. l. 2. obf. 63. n. 14. Pudeat autem talem Iudicem muneri suo alias laudabilis maculam adspergentem, suo enim non solum deest officio, sed impingit etiam in regulas Christianismi et contemnit ordinationem Dei, a quo munus Iudicis et Magistratus originem trahit, cuius finis est, ut veritas in mundo obtineat et iustitia administretur cuique. Ne cum ethnicis quidem sana mente praeditis talis est comparandus Iudex, sed illis longe postponendus. Meretur talis Iudex in numerum referri eorum qui dicuntur, *Iuristen boese Christen*, iuxta prov.

## §. III.

## §. III.

Quando autem Iudex notitiam habens legum rite  
vult fungi officio suo, non hospes esse debet in philosophia,  
sed exemplo suo alios convincere, quam necessaria sit  
conformitas actionum cum recta ratione. Non sufficit quic-  
dem theoria, seu cognitio legum, sed has in succum et sagui-  
nem conuertere necesse est et applicare factis, quae propon-  
nuntur in iudiciis, ut deciduntur et tranquillitas restituatur  
interrupta. Quod si enim Iudex per imprudentiam male  
iudicaverit, parti laesae ad damnum resarcendum tenetur,  
Wernh, sel. obs. for. p. 8. obs. 369. Mevius p. 7, dec. 295,  
n. 3. Facultate illa non praeditus Iudex abstinere debet a  
munere Iudicis, ne iram Dei et hominum sibi contrahat at-  
que contemtum. Iudex sine causae cognitione quid statuens,  
iniuriae suspicionem incurrit, l. 16. de adopt. Mv. p. 1. dec.  
12. n. 8. Talis etiam Iudex contra se ipsum peccat animi  
tranquillitatis expers et conscientiae morsibus semper com-  
motus. Parum utilitatis ipsi praebet externus munera  
splendor, qui fragili nititur fundamento, et neque ipsi fa-  
tisfacit, neque alios, nisi iurium et philosophiae ignaros  
decipere potest. Experientia etiam docuit, quod eiusmodi  
Iudices saepissime a munere deiecti vitam egerint miserrimam.

## §. IV.

Wolfius quidam Doctor Iuris in dissertatione sua inau-  
gurali anno 1728. habita de *Iuris consulto philosopho* in genere  
monstravit, quod ille nomine huius indignus fit, si non co-  
gnoverit principia philosophiae. Exemplum illius sequar,  
in praesenti de *Iudice philosopho* quaedam delibaturus.

A 2

§. V.

## IV

GENESIO &amp; GENESIO

## §. V.

Philosophia quidem in multas distinguitur partes speciales, quarum scientia moralis et Logica vitae humanae prae-  
primis utilitatem praefat. Haec enim intellectum emendat et alis scientiis praeparat viam, illa voluntatem corigit et ducit ad tranquillitatem et in genere ad felicitatem.

## §. VI.

Logica eam ob causam Iudici valde est necessaria, quia alias causae controversiae ipsi propositae veritatem et qualitatem inspicere non valet. Media etiam veritatis eruenda ei sunt incognita et multis se exponit erroribus. Aberrare autem a scopo, plura de hoc edifferens in genere, relinquo potius docentibus altiorum et inferiorum Scholarum, hanc exponere abunde materiam.

## §. VII.

Notoria et experientia quotidie confirmata res est, nihil magis, quam veritatem supprimi odioque haberi. Multi dantur rabulae omnes intendentis vires, ut Iudicem a vero iuris tramite abducant eumque per varia glaucomata commovent, ad vim iustitiae inferendam et partem innocentem cum periculo causae laedendam. De pernitoso rabularum proteruitate ac malitia totus hodie conqueritur mundus, quod scilicet veritatem saepius supprimant, et lites litibus cumulent, das sie das Recht krum machen. Non Iuristae, sed iuristae, non ICti, sed iure corrupti, non Iuris periti, sed iure perdi appellari merentur, Vid. Holterm. de Nequita Advocat. Logicae quando instructus est Iudex regulis, non diffi-

difficile erit intellectu, quae nam pars litigans iustum habeat causam, quae coloribus non indiget, si quidem hi malam produnt causam, ut in foris quotidie perspicitur.

### §. VIII.

Saepe contingit, ut altera pars litigans ad defendantiam suam intentionem, sit auctor, sit reus, ad Responsum iuris quoddam, vel sententiam in alia causa latam se referat, quae tamen, ut dicitur, casum in Terminis minime continent. Iudex absque Logica non videt dissimilitudinem causum, eosdem e contrario pro similibus habens. Ideae eius sunt confusae et ita fallunt, eo magis, quam illius Iudicis, qui tantum naturalis Logicae regulas cognoscit, quae autem confusam saltem regularum notitiam praebent et erroribus locum faciunt: Operam ut nauet Iudex prudens necesse est addiscenda Logicae artificiali, quae dat distinctam regulorum cognitionem, illumque ne erroribus se exponat, secum reddit.

### §. IX.

Reorum est fugere, proverbum quidem est, sed effectu plerumque non caret. Aetiones contra se motas per colores et tergiuersationes, licet in suorum detrimentum, in infinitum trahere, omnem mouent lapidem, fingunt compensationes et Iudicis praecoccupant animum. Non sufficit itaque, Iudicem cognitas perspectasque habere leges et ordinationes processus: Logicae addere debet regulas, ut dijudicare possit, num exceptiones oppositae fundatum actionis, aut passus tantummodo incidentes concer-

A 3

nant,

nant, an exceptio compensationis actioni connexa, vel ad Separatum, vel ad reconuentionem pertineat, et ante omnia sententia libello conformis ferenda sit. Quam frequenter in hoc passu a Iudicibus errari, norunt illi, qui in foris versantur judicialibus. Fundamenta actoris et rei invicem confunduntur, eventus litis protrahitur et expensae temere cumulantur. Notum autem est, quod Iudex, qui de facto procedit, pro spoliatore habeatur et Spoliatum ante omnia restituere debeat, c. saepe X. de restitut. spol. STRYCK. Vol. 3. disp. 23. c. 2. n. 84. Toties autem Iudex spoliare dicitur, quoties aliquem, iuris ordine praetermissio, rebus suis carere cogit, Cancell. initit. iur. can. tit. de restit. spol. 10. lib. 3. §. 5. Horn. c. 12. R. 23. p. 877. Deplorandi omnino sunt litigantes, Iudicem Logicae ignarum implorantes.

## §. X.

In primis materia de Syllogismis Iudici adeo necessaria est, ut iudicare rite possit, num libellus actionis, qui Syllogisticis nititur requisitis, praemissa habeat congruas et aptam conclusionem s. petitum ex illis profluens. Alias exceptiones inepti et obscuri libelli cognoscere et sententiam insuper ferre interlocutoriam non valet. Saepe contigit, quod tales exceptiones sententionando plane fuerint praeteritae ex Inscitia Iudicis. Notorium quidem est, reos plerumque talibus abuti exceptionibus dilatoriis, requirunt tamen cognitionem et decisionem, ne reis ansa detur, in leuteratione, vel appellatione novas commouendi altercationes, finique litis impune resistendi.

## §. XI.

## §. XI.

Maxime necessaria est iudici philosophia, praesertim Logica, cuius munus requirit, ut disceptationes orales quotidie occurrentes cognoscat et dirimat. Quam obseuris autem et confusis vtuntur plerumque verbis litterarum et iurium ignari actores? quantas e contrario adulationes adhibent alii? Rei itidem metu industi confuse respondent actionibus, alii vero temere negant illas atque perfracte. Iudex tantummodo philosophus iudicare valet, quaenam congruant exceptiones actioni, quae dicitis gratia opponantur, et caussam ipsam non tangant. Discernere potest talis Iudex simplicitatem a malitia verbis inherenti, affectusque humani, quibus reguntur saepe partes litigantes, eius mentem non occupant. Iudex philosophus considerans rem ipsam Logicae vtitur artificialis regulis, quae distinctas supeditat ideas, illumque ab erroribus, partibus litigantibus breui temporis spatio ius dicentem liberant.

## §. XII.

Cognitio sola legum in his casibus minus sufficit, et destituitur effectu deficiente philosophia, minima enim circumstantia, vt vulgo dicitur, variat rem. Iudex non philosophus labores suos reddit difficiliores, et exponit se insuper contemptui aliorum atque ludibrio, qui eum munere suo indignum iudicant.

## §. XIII.

Iudex non minus philosophiae partem moralem cognitam perspectamque habere debet ad corrigendam voluntatis prauitatem. Quis enim in dubium vocabit, Ambitionem,

*Voluptatem et Auaritiam tales esse affectus, qui perturbant animum et supprimunt veritatem atque iustitiam? scientia autem moralis media praebet eiusmodi resistendi affectibus eosdemque enerandi. His Iudex magis, quam alii, exponiatur, immo eo saepe trahitur, vt a veritatis aberret via et iustitia causae non cognita sententiam iniquissimam ferat et iniustissimam. Puffendorfius quidem de offic. hom. et ciu. l. 1. c. 1. §. 14. affectibus humanis interdum indulgeri opinatur. Verba illius sunt: cum autem affectuum alii excitentur specie boni (veri sive imaginarii) alii specie mali (scilicet declinandi et auertendi) et stimulent, vel ad acquirendum aliquod gratum (v. g. diuitias, voluptatem) vel declinandum molestum (v. g. periculum vitae, verbera etc.) naturae humanae congruens est, vt hos quam illos, plus favoris aut veniae mortales inter comitetur, eoque magis, quo infestius et intolerabilius fuit malum, quod eos excitauit. Longe quippe tolerabilius habetur, carere bono ad naturae conseruationem non adeo necessario, quam expipere malum, ad naturae destructionem tendens. Distinguendum autem inter Iudicem et alios arbitror. In illo omnes exulare, quantum fieri potest, affectus necesse est.*

## §. XIV.

Iudex ambitioni deditus ei aures non praebebit benignas, qui non laudat illius scientiam atque iurisprudentiam. Partem litigantem minime excusabit aedes eius non frequentantem. Ambitus Iudex irascetur parti et vindicta commouebitur contra eam, quando vel offendum se antea ab hac arbitratur, vel pars resolutione, aut sententia eius se

gra-

grauatam declarat, superiorem implorat Iudicem, et media in iure et ordinatione processus concessa aduersus eam adhibet. Impossibile fere est, talem Iudicem videre errores, licet ei non incognitum, quod errare humanum sit. Pertinaciter potius suam defendet intentionem cum damno partis litigantis maximo.

## §. XV.

Multi Iudices tanta inflantur ambitione, vt pauperes ne audiant quidem, multo minus illis auxilium praestent, non perpendentes, quod nihil habeat in se durius paupertas, quam quod reddit homines ridiculos, immo illos pudeat quasi Iudices, res parui momenti cognoscere, non considerantes, quod eiusmodi causae in vita sint frequentiores communi, Iudicisque egeant decisione, ne maius exinde oriatur malum atque periculosa consequentia. Superbia enim et animus elatus cum contemtu aliorum coniunctus ita omni iure exosus est, vt seueris actionibus coercentur, qui alterum ludibrio habet, sive id verbis, sive ipso facto fiat. Etiam inter pauperes deprehenduntur, qui vitam malint periculo praesenti exponere, multo magis pacem aduersus alium infringere, quam contumeliam inultam perfere, gloriae nempe et existimationis integritate ac vigore omnis animi voluptas constat. Vid. Puffend. de I. N. lib. 3. c. 2. §. 7. Licet Hugo Grotius de I. B. et P. I. 2. c. 2. §. 2. n. 3. ambitionem generosius vitium appellat, attamen ipse statuit, illam rumpere concordiam inter homines ex opinione autem mortalium avaritiam et voluptatem pro magis abiectis et exosis haberi, quam ambitio. Interim haec est,

B

et

et manet vitium, in primis in respectu iuridico, quo non opiniones vulgo conceptae considerantur, sed regula justi atque honesti vnicē attenditur. Negandum quidem non est, experientia etiam confirmatur quotidie, dari partes litigantes, qui ob causas nullius plane momenti, quas inter se componere facile possent, adeunt Iudicem; huius tamen officii est, tales causas breuissime tantummodo decidere, et regularum ductu moralium illarum corrigere mentem atque in reētam partes redigere viam, contumaces etiam et pertinaces comminatione poenarum ad obsequium reuocare, omnibusque litis ambagibus resistere.

## §. XVI.

Expérimentia quidem docet quotidiana, multas partes litigantes omnem in proponendis causis negligere modestiam honoremque Iudici debitum, adeo ut a iudicii statim limine mereantur repelliri. Vbi autem est regio illa vel vrbs, quae non alias, quam rationabiles contineat incolas; Frustra quaeritur corruptis plurimorum moribus. Quocirca Iudicem oportet esse philosophum, ut dijudicare possit, num partes litigantes hoc vel illud ex simplicitate, vel malitia protulerint, ne irascatur statim et ipse peccet, atque a cognitione cause perspicua ferendaque legali impediatur fententia.

## §. XVII.

Mihi ipsi consuli quondam regenti accidit, ut quae-dam inferioris conditionis vidua contra generum ageret re-cusantem illi relinquere sterlus a duobus anseribus ei-  
stum.

**Etum.** Minimi profecto momenti haec res erat, quae tamen, si non decisa fuisset, multis altercationibus et iniurias fecisset locum. Damnum exinde resultans pretium anserum et stercoris exceedere facile potuisset, et reconciliatio partium difficilior facta fuisset. Iudicis quidem non est, cognoscendis et decidendis eiusmodi exigui momenti causis immorari causasque insuper maiores negligere. Vultus tantummodo serius et duo verba pondus habentia Iudicis sufficiunt, pruritum expellere litigandi ex animis partium huius generis litigantium. Perpensis itaque his circumstantiis condemnare generum non dubitauit, socrui relinquere stercus tanquam fructum aedium, quae huic erant propriae, exemplo stercoris humani, quod locatores sibi vindicare solent contra conductores aedium.

## S. XVIII.

Iudex itaque ambitiosus omnino reprehendendus est. Nec minus *voluptati* deditus valebit officio satisfacere suo, sibi enim ipsi non recte prospiciens aliorum damnum, quantum potest, minime auertet, ne de illo quidem cogitabit. Voluptuosus Iudex studet commoditati amatque animi tranquillitatem, quam aegre fert interrumpi; labores fugit; rationes non eruit causarum; partibus oraliter inter se disceptantibus benigniores interdum praebet aures, quam status requirit causae controversiae atque auctoritas iudicii, quae ut maneat illaes, semper studendum maxime. Ridet talis Iudex, quando partes lacrymas effundunt aceritas; differt cognitionem causarum atque sententiam in longum saepe tempus. Partibus finem causae vrgentibus eam

tandem publicat sententiam, vel legibus, vel actis contraria, ut liberetur saltem ab eiusdem causae vteriori cognitione, sciens partes eam non agnitas iudicem potius superiorem imploraturas.

### §. XIX.

Melior est conditio iudicis, qui voluptati resistit, et voluntatem ex philosophia morali corrigere studet suam. Constanſ sibi manet, causae cognitioni ipsius commissae ſint graues, vel non adeo diſſiciles; iucundae, vel amarae. Cognoscet absque detrimento tranquillitatis, ſive commoditatis. Ad cognoscendas et decidendas caſas graues atque intricateſ ſufficiens adhibet tempus; non neglit acta exaſte perlustrare atque rationes perspicere a partibus prolatas. Fiducia in ipsum poſita ſe dignum reddere, omnem nauat operam et nunquam aliam, quam legalem fert ſententiam. Non patitur ab alio, exercitii gratia, ſieri ex actis relationem, multo minus ex ea ſumit ſententiam, ſed omnia ipſe perspicit commoditatique ſuae renunciat. Contingere talis poſt casus in ſententiis ab exteris, ut dicitur, impartialibus ferendis. Multas autem experientia docuit partes litigantes, quam pernicioſae iſpis interdum fuerint eiusmodi auctis et legibus diſformes ſententiae.

### §. XX.

Iudici hanc etiam praebet philosophia vtilitatem, quod **A V A R I T I A** ſe corrumpi non patiatur, cognitum enim ipſi est malum, quod exinde ſolet ſequi. Magna enim ineſt vis affe-

affectui avaritiae, ita ut praesentissimum etiam vitae periculum subire non dubitet ille, qui dicto affectu ad committendum aliquod delictum impellitur, vnde Virgil.

- - quid non mortalia pectora cogis,  
Auri sacra fames.

Et Manilius Astron. l. 4. apud Pufend. de I. N. et G. l. 2.

c. I. §. 6.

- - Nullo votorum fine beati  
Victuros agimus semper, nec viuimus vñquam  
Pauperiorque bonis quisque est, quo plura requirit,  
Nec quod habet, numerat, tantum quod non habet,  
optat.

Quumque sui paruos vsus natura reposcat,  
Materiam struimus magnae per vota ruinae,  
Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas,  
Et sumnum censu pretium est effundere censem.

Non accipit Iudex philosophus dona, nec commouetur illis  
iniuste agere, immo ne reddere quidem alterius causam  
duriorem. Inique potius fert, quando illi offeruntur dona,  
cautius potius agit, causamque maiori perscrutatur diligentia,  
ut experiatur, quo animo pars litigans ipsi obtulerit  
dona. Maxima Iudicis cura eo semper tendit, ut viri boni  
nomen mereatur atque retineat. Maiora non promittit  
priuatim, quae publice partibus non potest concedere.  
Contentus est Salario, accidentibus solitis atque sportulis,  
et licet non sint vberiores, per illicita tamen eas non auger-

re Studet media. Regulas Christianismi perpendens nouit,  
quod paucum, quo fruitur iustus, melius sit, quam diuitiae  
in iustae malorum maxime.

## §. XXI.

De affectibus Iudicis in praesenti notari meretur, l. 19.  
§. 1. ff. de offic. Praef. vbi Callistratus notanter dicit, ne-  
que Iudicem in cognoscendo excandescere aduersus eos,  
quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacri-  
mari oportere. Id enim non esse constantis et recti Iudi-  
cis, cuius nimis motum vultus detexit. Huic addenda  
l. 6. §. 3. ff. de offic. Procons. quae ab avaritia serio de-  
hortatur Proconsolum,

## §. XXII.

Dantur casus et quidem frequentiores, in quibus Iu-  
dici ex officio procedere incumbit. Hic autem eo minus  
munere fungi potest suo, quando philosophiae ipsi incogni-  
ta sunt principia, siquidem occasio rationes partium di-  
judicandi Iudici implorato data ipsi deest, et hinc fallere  
facilius potest. Quando autem Iudex imploratus, qui fun-  
damenta actionum et exceptionum in scriptis prolata co-  
gnoscere potest, officium suum rite praeflare nequit, phi-  
losophiae ignarus, certissimum est, Iudicem eiusdem qua-  
litatis ex officio, minime procedere recte et ultra aliquid  
facere atque supplere legitime posse, quod alias a partibus  
suppeditari litigantibus solet.

## §. XXIII.

## §. XXIII.

Hoc denique est, quod in praxi XXII. annorum ipse iam dudum cognoui, et quoniam notorium non indiget regulariter probatione, notorium enim est, quod omnibus patet, vel maiori populi parti, Orth. diff. inaug. de Notorio ubique auctoribus confirmare non necessarium duxi. Animus autem mihi non est, Iudicibus praescribere regulas, eosque offendere, de quo protestor solennissime. Non dererunt fortassis insipientes hanc dissertationem, qui excitabuntur, officio suo maiori cum industria et fide fungi, ad quod rite peragendum Dei clementiam in omnibus negotiis per necessariam illis apprēcor.

## Curriculum vitae.

Ego

PAVLVS IOANNES FRIDERICVS SOMMER natus sum Coburgi die XI. mensis Iulii MDCCXIX. patre Augusto Ioanne Sommer, Advocato Ill. Regin. Saxo-Coburg. ordinario, et matre, Sophia Eleonora, Domini Cancellarii et Professoris Iuris Giessensis etc. Ioannis Friderici Nitschii filia natu minori,

Scholae Senatoriae latinae classēs Dn. Restore Martini cum percurrerim, in Gymnasium illustre Casimirianum promotus partim in Paedagogio, partim in publico Directores Dnn. Schwarzium et Tresenreuterum, et Professores Dn. Dr. Bergerum, Dn. Dr. Albrechtum; Dn. Ehrenbergum, Dn. Schübartum et Dn. Lynckium docentes habui,  
qui

## XVI

6872 \* 6873

qui me in Theologia, Iure, Philosophia, Rhethorica et poesi, itemque in graeca et latina lingua historiaque tantum do-  
cuerunt, ut anno MDCCXXXIX. ad Salanam me conferre  
Musarum sedem potuerim. Ad altiora tum progressurus  
instructus sum in Institutionibus Iuris et Pandectis a Dn.  
Dr. Moter, in Mathesi a Dn. Profess: WIDEBVRG, in Logi-  
ca a Dn. Prof. REV SCH, in Physica a Dn. Dr. STOCK, in Iure  
Naturae a Dn. Prof. LEHMANN, in Iure Publico, Feudali et  
Historia vniuersali ab Ill. Dn. Prof. BVDER, et in Iure Cano-  
nico, Germanico atque Criminali a Dn: Prof. ENGAV, artem  
autem relatoriam ex Aetis didici ab Ill. Dn. Prof. KEMME-  
RICH. Linguis Italicam et Gallicam, cuius fundamenta iam  
Coburgi cognoui, lenae excolare non neglexi. Cursu academi-  
co absoluto reversus sum an. MDCCXXXII. in patriam  
et post aliquot menses Serenissimi Ducis clementia numero  
Advocatorum ordinariorum me ad scribi concessit, quae  
impulit me, omnem adhibere diligentiam in applicandis ad  
facta legibus et causas partium rite in foris perorandis et  
agendis. Anno MDCCCLVI. per maiora Senatus Consul  
electus sum, et Anno MDCCVLIII. et MDCCCLXI. Consul  
regensis praefui muneri. Praeterito autem anno Syndi-  
ci ciuitatis munus mihi fuit vnanimiter a Senatu amplissi-  
mo oblatum, quod cum debita gratiarum actione accepi  
sub spe, diuinam laboribus interdum graibus  
non defuturam gratiam.

T A N T V M.

PRAENOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. D. P.

P R A E S E S

**E**orum sententia diu mihi fuit suspecta , qui aduocatos tantum a vero iurisprudentiae tramite aliquando aber- rantes aut Leguleiorum aut nomine Rabularum inquietare solent , in iudices autem talia praedicata prorsus non cade- re sibi persuadent . Magna itaque cum voluptate eruditam **TVAM** Vir **PRAENOBILISSIME DE IVDICE PHILOSOPHO** , perlegi dissertationem inaugu ralem , quam nunc **TIBI** sine vi- la immutatione reddo . A communi enim opinione **TE** re- cessisse , et eorum potius sententiam amplexum fuisse video , qui in iudice suo officio **omni ex parte** fungente iudicium iuris practicum efflagitant et voluntatem emendatam . Alterutrum quippe si a se desiderari patitur **Iudex** in vi- tium Leguleii incidit aut perniciose Rabularum consortio ad- scribitur . Optimo igitur iure in bono iudice **Vir Consultissime** perrequiris , vt sit philosophus practicus non solum in rationali sed et morali Philosophia . Quamuis enim **iudex** ideo e numero leguleiorum nondum eximatur , quod **Leges** ex praceptis naturalibus et ciuilibus interpretari di- dicerit , siquidem hac interpretatione non obstante iudicio practico destitutus leges ad facta ciuium insipienter applicare potest , in fatua vero et stolida legis ad factum ap- plicatione vel maxime leguleii nota cernitur : Nihilo ta- men secius iudicem ob hanc saltem rationem logica practi- ca imbutum esse oportet , quia reduc[t]io facti ad genus lege determinatum , vnde *imputatio* facti prefiscitur ,

non

non minus ac ipsa legis ad factum applicatio, qua impunitatio iuris demum absolvitur, teste Lauterbachio absque ratiociniis fieri nullo modo potest: Ratiocinia vero, quae absque prima et secunda mentis operatione neutiquam cogitamus, procul omni dubio logicam exigunt practicam. Deinde inter omnes constat, quam plurima in causis tam ciuilibus, quam criminalibus arbitrio iudicis relinqu. Quis vero ignorat arbitrium iudicis in iis, quae in Legibus determinata non sunt, nec facile determinari possunt, per iudicium sepe exercere, quod juris analogiae et philosophiae rationali probabilium debemus. Ponas interea iudicem vim legum et potestatem satis perspexisse, habitumque leges ad facta applicandi sibi acquisiuisse, tamen inter Ictos vere tales non aliter locum sibi vindicare poterit, nisi in suis, quas exarat, sententiis et enunciatis sapientiam a virtute separari nesciam exaetissime semper sequatur. Astute namque leges qui ad facta ciuium applicare sueuit, Rabulae potius, quam Icti nomine dignus existimatur: siquidem sapientiae, quam Ictus omnino comitem habet, imprudentia opponitur et astutia, inde demum differentiam inter leguleum et Rabulam promanasse autumo. At enim vero iudici non solum cum iurisprudentia iudicaria, verum quoque extrajudicaria res est. Quodsi ergo iudex, in concinnandis pactis dotalibus, transactiōibus testamentis aliisque instrumentis super emtione venditione, locatione conductione, fideiūfione, mutuo, hypothecae constitutione etc. praeter essentialia cuiuslibet negotii, naturalia eiusdem dubiae scilicet interpretationis exprimere aut accidentalia a partibus platica in locum naturalium quorundam substituere vel ex incuria vel ex calliditate intermitteret, aut iurisprudentiam caute-

telarem, qua alias iuribus nobis acquirendis, conseruandis  
et prosequendis prospicimus, insuper haberet, ideoque li-  
tigiis futuris ansam preeberet; tunc contra iurisprudentiam ex-  
trajudicariam impingeret et in primo casu vitii leguleii in alte-  
ro vero Rabulismi reus fieret. Nec minus a regulis iurispru-  
dentiae iudicariae recederet, et in alterutrum horum vitio-  
rum incideret, si amicabilem compositionem debito modo  
tentare, processum rite formare, legitimationem partibus  
iniungere, litis contestationem vrgere, in imponenda prob-  
atione rite procedere, testes prorsus inidoneos et articu-  
los impertinentes reiicere, oculorum inspectionem et iura-  
menta decernere, iustitiam promouere, plenam aut minus  
plenam probationem attendere studio vel incuria neglige-  
ret, ideoque sententia sua aut nulla aut iniusta nouis alter-  
cationibus et remedii suspensius occasionem suppeditaret,  
atque in expensis immodicis exigendis tantum lucrum qua-  
reret. Quas quidem deuias ex plures alias abs T E Prae-  
nobilissime atque consultissime Domine Candidate in Differ-  
tatione TVA indigitatas, omnes euitabit iudex philosophus  
practicus. Quare non solum TIBI summos, quos diu me-  
ruisti, in vtroque iure honores, verum quoque munus Syn-  
dicatus amplissimum iam antea TIBI demandatum gratu-  
itor: Gratulor quoque inclytae ciuitati patriae Iudicem  
prudentiae et iustitiae laude ybique conspicuum. Gratulor  
denique mihi de amicitia, qua haetenus me excipere  
voluisti exoptatissima, atque, vt in posterum eidem ac tuo  
fauori colendissimo me habeas commendatislimum, oro at-  
que contendeo. Dabam Erlangae d. XX. Maii

MDCCLXIII.

**Q**uae videt, quaeſo, iam mens futura  
Tempora, en! felicia, queis frueris  
Perdiu trauilllus agente nigra

Nubila Phoebo!

Queis piis ardent mea corda votis  
Annuet Divus, poterisque CARE,  
Cum TVIS permulta beatus olim

Claudere Iustra.

Paucis his

**VIRO CONSULTISSIMO**  
populari suo, laurea Doctoris  
dignissimo gratulatur, simulque  
**SENATVI PATRIAE AMPLIS-**  
**SIMO** de nouo suo Syndico me-  
ritissimo gaudium exponit.


**CHRISTOPH. DANIEL PRAE-**  
**TORIVS** Almae Fridericianae  
Doctor Legum III. DECANI iuf-  
ſu diftentientis prouinciam ad-  
ministrans.

**ULB Halle**  
005 355 311

3







Pr. 6 num. 2.  
10

**DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
IVDICE PHILOSOPHO**  
 QVAM  
 SVMMI NVMINIS AVSPICIIS  
 RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIP E AC DOMINO  
 D O M I N O  
**FRIDERICO CHRISITIANO**  
 MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE SILESIAEQVE  
 DVCE RELIQUA BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI RELIQUA  
*P.A.61*

---

EX DECRETO  
 ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS  
 P R A E S I D E *1764, 5*  
 D. IOANNE IVSTINO SCHIERSHMIDIO ICto  
 SERERISS. MARGR. CONSIL. AVL. ANTECESSORE ET PHILOSPH.  
 PRACT. PROFESSORE ORDIN. H. T. FACULTATIS IVRID. DECANO  
 PATRONO AC FAVTORE QVAM MAXIME COLENDO  
 PRO GRADV DOCTORIS  
 SVM MISQVE IN VTRQVE IVRE HONORIBVS PRIVILEGIIS  
 ET IMMVNITATIBVS RITE OBTINENDIS  
 PVBLICO ERVDITORVM SCRVTINIO  
 EXHIBET  
 AVCTOR  
**PAVLVS IOANNES FRIDERICVS SOMMER**  
 AVL. ET REGIM. SAXO-COBVRG. ADVOCAT. ORDINAR. ET.  
 CIVITAT. COBVRG. SYNDICVS.  
 D. XXV. MAI MD CC LXIII.  
 ERLANGAE  
 LITTERIS TETZSCHNERIANIS.

